

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Politische Urkunden von 1332 bis 1380

Witte, Hans

Straßburg, 1895

1343 - 1344

[urn:nbn:de:bsz:31-326748](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326748)

122. Statutum capituli s. Thomae de variis rebus. Medietas reddituum defunctorum praeter annum gratiae ad culturam ecclesiae, altera medietas ad augendos redditus destinatur. 1343.

Str. Thom. Arch. lad. 16. Verzeichnis der Statuten und Privilegien saec. XVIII.

123. *Bischof Berthold und das Kapitel setzen fest, daß hinfort das Schultheißenamt, das Burggrafentum, der Zoll, die Münze und das Unterrichteramt nicht mehr veräußert werden sollen.* 1344 Januar 22.

In dei nomine amen. Cum alienaciones iurium et rerum ecclesiasticarum sint quantum possunt penitus evitande et si eas quandoque fieri oporteret, in eisdem sit premittenda exacte deliberacionis maturitas et evidens ecclesiarum utilitas vel necessitas cognoscenda, nos Berhtoldus dei gracia episcopus Arg., Ūlricus prepositus, Conradus decanus totumque capitulum ecclesiae Arg. super evitanda dampnosa alienacione et impigneracione iurium et officiorum inferius subscriptorum ad ius Arg. ecclesie spectantium, que retroactis temporibus sicut experientia facti efficax rerum magistra nos docuit, quandoque minus utiliter cognovimus alienata et pro debitis impignerata seu ypothecata fuisse diuturna deliberacione inter nos prehabita pro nobis et in dicta Arg. ecclesia nostris successoribus universis ordinavimus, statuimus, ordinamus et statuimus futuris temporibus perpetuo inviolabiliter observandum, videlicet, quod nullo umquam temporum dicta officia vel ipsorum aliquid vendicionis, permutacionis, impigneracionis aut alio quovis alienacionis titulo per nos vel nostros in ipsa Arg. ecclesia successores alienari debeant quoquomodo. Evidenter enim cognoscimus magis Arg. ecclesiae expedire, si quando alienandi bona ipsius necessitas vel utilitas imminuerit, quod aliqua alia ipsius ecclesie bona alienentur et subscripta iura et officia penes ipsam ecclesiam et in eius manibus inalienata permaneant inconcusse. Verum si quando secundum varietatem temporum immineret et cognosceretur evidens utilitas vel necessitas ecclesie Arg. in alienacionet ipsorum officiorum vel alicuius eorundem, adhuc ipsa vel ipsorum aliquid alienari non debent, nisi in modum subscriptum: videlicet quod ipsa officia vel ex eis aliquid vel usufructus eorum alicui ad vitam suam vel ad duodecim annorum spacium titulo vendicionis cum pacto revendicionis vel titulo pignoris alienentur, et nec tunc nisi eo pacto expresse appposito, quod de fructibus officii sic alienati annuatim tantum cedat, computetur et devalcando imputetur in presencium revendicionis faciende de officio vel ejus usufructu vendito vel in sortem debiti in officio impignerato luendo, quod ad minus in morte ejus, cui aliquid eorundem officiorum extitit ut premittitur alienatum ad vitam vel infra duodecim annos, quando ad ipsorum spacium alienatum extitit ut prefertur, officia vel officium sic alienata vel alienatum ex computacione devalcacione et imputacione fructuum hujusmodi redire valeat et redeat ad jus et manus Arg. ecclesie pleno jure. Et sunt hec iura et officia, de quibus premittitur non alienanda, videlicet officium scultesie^a Arg., vulgariter das schultheissen dām, offi-

^a) *Korrigiert aus scultetie.*